



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Archipresbyter constituitur in Anglia Ibidem

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

mitibus ab ijs præscriptis qui nulla supra cæteros dignitate eminent. Et plures quidem tentatæ sunt viæ ad leniendos continendosq; certis limitibus ferces animos; at nihil ita firmum reperiri potuit vt esset diuturnum, nè diuinæ quidem iræ ostentata in contumaces leueritas; Nam Doctor ille Medicus repente vlu linguæ & vitæ excidit; Alter quidam Sacerdos ad Hæreticos deficiens in PseudoEpiscopi Londinensis familiam decorum cooperari existimauit.

XVIII. Interea temporis graues quidam & Docti Sacerdotes cum perspicere-
rent quanta cum die irrepere possent mala, si nullus tam multis qui quotannis
ex Seminarijs prodibant Iuniores, daretur Superior, sed suo semper omnes
ingenio permitterentur, quanta præterea oriri necesse erat cōmoda ex mutua
inter se consiliorum auxiliorumque communione, agitare cæperunt animo
coniunctionem quandam omnium per Angliam Sacerdotum sub cer-
tis moderatoibus, quorum vnus Septentrionalibus, alter Meridionalibus
Regionibus præset; quam coniunctionem *Associationis* nomine celebra-
bant, seu imitatione seu æmulatione Societatis, cuius splendorem ex coniun-
ctione plurium sub vno capite animorumque concordia propagari non im-
merito arbitrabantur. Iam conceptis legibus formam quandam scripserant
modumque regiminis per Rectores, Assistentes, Secretarium, & cætera offi-
cia: Quinam etiam essent admittendi, qui pellendi, quæ ratio in conuenti-
bus, quæ in Appellationibus, quæ esset tenenda in pænis. Dum plurium al-
sentus & subscriptio quæritur, quidam dant nomina; quidam rem probant,
de modo disputant, & de euentu: Quod enim nulla positum auctoritate,
sola consensione niteretur, quàm facile cæptum tam facile deseri posse existi-
mabant cum primum se ostenderet quantalibet à natura cuiusuis aut à ratio-
ne discrepans sententia. *Alanus* etiam Romæ intellexerat eam quam *Morganus*,
Page & *Throckmorton* excitauerant in Galliis fonebantque con-
tentionem aduersus se & Societatem *Iesu* in Angliam irrupisse, pluresque Sa-
cerdotes traxisse in partem; cui curandæ nullum potentius remedium se
offerebat quàm vt caput aliquod clero daretur, à quo pax & tranquillitas
tum inter Sacerdotes coalesceret tum ad reliquos per ipsos deriuaretur: Sa-
cerdotes ipsi cæterique consideratores Catholici eadem optabant, & mis-
sis duobus in urbem flagitabant. Itaque re in deliberatione posita, &
quæsito viro cui tantum onus cum dignitate imponeretur, post multo-
rum in Anglia & extra Angliam rogatas sententias, plerisque consen-
tientibus in *Georgium Blackwellum*, is *Clementi octauo*, (eo tempore ad
Ecclesiæ clauum sedenti,) proponitur, & non ita multo post literis Cardinalis
Caictani Angliæ Protectoris inauguratur *Superior Cleri Anglicani*, cum
potestate & nomine *Archipresbyteri Angliæ*, additis duodecim Assisten-
tibus qui ei essent à consilij; sed quæ res pacis & tranquillitatis studio
concepta est, ea non paucorum animos commouit, & in diuersa distraxit.
Alij grauiter ferre se cum rogarentur suffragia, vel cum eligerentur qui

Idea Ass-
ciationis in
ter Sacce-
dotes.

Constituitur
Archipres-
byter Pon-
tificis aucto-
ritate.

T

assiste-

1587.
aliquibus
dissentientibus.

assisterent esse prætermisissos: Alij non in vnum omnia conferti, sed duos constitui optabant, eosque Episcopos: Nouum enim esse dicebant hoc nomen potestatemque *Archipresbyteri*, atque in tanto Sacerdotum numero, quantus in Anglia iam esset, inlicitam. Alij vniuersum hoc genus nomenque regiminis ab hominibus Societatis aiebant esse profectum, vt per viros sibi propter acceptam dignitatem obnoxios clero reliquo imperarent: Tum quo i Protectoris rescripto res tota niteretur, non Breui Pontificio, infirmam esse dicebant hanc omnem potestatem & minime admittendam; sibi verò hoc deberi vt suos sibi Superiores eligant; id Canonibus vicinius esse, atque Ecclesiasticæ consuetudini. Alij eo vsque progressi sunt vt quoniam à Pontifice profecta esset auctoritas, periculo plenum esse assererent si quis ei se subderet; is enim qui potestatem externam in hoc Regnum agnoscit, omnium facultatum iactura, & perpetuo carcere mulctatur, lege quam vocant *Premunire*: Pauci denique electum ipsum *Blackwellum* & parca perstringebant; erat enim plurimorum sententia, pietate, prudentia, doctrina, rerum vsu, facilitate morum dignus auctoritate & loco quem tenebat: Quod autem *Archipresbyteri* nomine, non *Episcopi* sacratiore dignitate vtendum esse censuerit summus Pontifex, id ipsiusmet & Purpuratorum Patrum consilio tribuendum est, non ad Societatis aut vnus *Personij* suggestionem reiiciendum; Hic enim de *Episcopo* in Angliam destinando non semel neque negligenter egit. Nam Londino decimo septimo Septembris anni octogesimali, Rectorem Seminarij de vrbe scriptis literis sic alloquitur. "Ingens est necessitas *Episcopi*, qui nobis oleum Sacrum ad Baptismum, & ad Extremam-Vnctionem conficiat &c. Ob cuius defectum redacti sumus in magnas angustias, & nisi sua Sanctitas mature nobis in hac re succurrat, nescimus quid breui sit faciendum: Speramus suam Sanctitatem breui aliquem subministraturum; certe interest ad communem causam vt aliquem citò habeamus.) Hoc ipso verò tempore quo palam agebatur de Superiore constituendo, nouem rationes scripto digestas, (quod etiam nunc extat) suæ Sanctitati & Cardinalibus obtulit, quibus utilitatem necessitatemque duorum *Episcoporum* in Anglia explicabat: Et quoniam erat quæstio non leuis de sumptu ad eam sustentandam dignitatem, pridem egerat cum illustrissimo viro Don Francisco de Sarmiento, Episcopo Iaënnensi de eo subministrando; qui quantum duobus vel tribus alendis sufficeret liberaliter adpromisit, Quod testantur *Personij* literæ ad *Alanum* anno nonagesimo secundo scriptæ. At visum est suæ Sanctitati *Archipresbyterum* instituere, in quem maxima Sacerdotum pars animis libentissimis sua contulere studia, & communibus literis animorum consensionem atque læticiam monstrauere. Id certe mirum est, & humanæ imbecillitatis insigne argumentum, quòd ex grauissimis doctissimisque viris aliqui, atq; ex ijs qui primi ordinem inter Sacerdotes constitui concupierant, & priuatim ad laborauerant, potuerint in eum errorem

Quid Personias egerit pro Episcopo in Anglia constituendo.